1642.

6

APOLOGIA


Veritatis, ac Iustitiæ, præsertim in foro conscientæ, vendicatrix.

Authore

Mtro. FRANCISCO FRAYRE

Societ. Jesu, Lusitano.





Anno Domini M DC XLII.

Excellentissimo Domino

D. FRANCISCO de MELLO

Serenissimi Regis nostri JOANNIS IV. *patruo, ejusque à Conciliis de Statu, Marchioni Ferreyrensi, Comiti Tentugalensi, Oliventaro Præfecto, Dominatori Alvayasarensi, Ansianensi, Rabasalensi, Ansanensi, Villarubiensi, Aquapiscariensi, &c.*

Excellentissime Domine.



Uoniam in aliis occasionibus inferioris momenti, & multo minoris difficultatis, dignata est Excellentia vestra mihi præcipere, ut sententiam meam in scriptis declararem, in præsenti, quæ publicam totius Regni continet utilitatem, eidem Regno servitium non vulgare, & Excellentiæ vestræ obsequium qualecunque me facturum existimavi, si non expectato ipsius speciali, ac expresso mandato, scriptis publicassem, quæ mea mens esset de justitia, ac jure, quo maximus Rex, ac Dominus noster JOANNES IV. acceptavit hanc Lusitaniæ coronam, sibi à totius Regni nobilitate, & populis oblatam, dejectis Castellæ Regibus, ab antiqua, sexagenariaque ejusdem Coronæ possessione. Et præter amorem in me erga patriam toties tam claris argumentis testatum, pro cujus libertate vincula Eberæ sustinui, & adhuc Portucaliæ sustineo exilium, & rerum omnium, quas mihi religio mea concesserat, spolium, nec non præter studium in me

tam antiquum erga Serenissimam domum Brigantinam, ad hunc laborem suscipiendum instigavit me experientia, qua assecutus sum plures viros illustres in hac materia scrupulo morderi, eo quòd à multis in ea fuerim consultus: maximè cùm intelligam decisionem hujus difficultatis in foro conscientiæ, in quo eam præcipuè discutio, quia lites jam minimè formidamus, omnino dependere à notitia utriusque Juris, in qua Theologi nostri non sunt ita versati, propterea quod ingens copia illustrium Juris consultorum, qui in hoc Regno facilè reperiuntur, eos ab ea cura exoneret, quamvis ego curiositate ductus, aliisque Philosophiæ, sacræque Theologiæ studiis,& professione minimè contentus, annos plurimos in hac facultate tam necessaria ad regimen spirituale, & temporale Reipublicæ Christianæ bene institutæ assequenda, non dubitaverim collocare. Spes mihi à Deo Opt. Max. non mediocris est injecta, fore, ut ex hoc qualicunque meo labore fructus sequatur optatus: is nimirum præter alios, ut militibus nostris non contingat ex erronea conscientia peccare, sed potius animosissimè dimicare, dum certiores facti de justitia causæ, quam defendunt, æternæ damnationis timore à vita periculis exponenda non retrahantur, cùm gentilis quoque Poeta sit testatus, quòd justitia, vel injustitia causæ militibus conferat, vel auferat bellicam virtutem. Propertius.

Frangit, & attollit vires in milite causa,
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.

Denique à regia benignitate Excellentiæ vestræ spero, quòd hujus exigui servitii eam faciat æstimationem, quam voluntas meretur, qua se præsentat oblatum. Portucaliæ septimo Kalend. Januarias Anno Domini 1641.

Excellentiæ vestræ


Antiquus, & humilis Capellanus

Franciscus Freyre.

Nobili viro

NICOLAO CARVALIO

Lusitano Portucalensi, salutem.



Nter varios libellos, jucundissime Nicolae, *quos ad me pro amicitia nostra misisti, & Lusitani nostri vocant manifestos, unus erat manuscriptus, Apologiæ titulo notatus à Magistro* Francisco Freyre *Societatis Jesu Lusitano compositus, & ab eodem per epistolam nuncupatoriam in fronte positã Excellentissimo Domino* D. Francisco de Mello *Marchioni Ferreyrensi oblatus; dignissimus quidem sapientissimis hominibus hujus inferioris Germaniæ visus, qui ante alios omnes typis mandaretur, propterea quod cæteri frigidè admodum, exiliter, & obscurè de justitia invictissimi Regis nostri* Joannis IV. *differere, & à puncto quæstionis aberrare videantur, cum nullius stylus in id figatur, ut ostendat, quo jure Rex Castellæ ab antiqua Lusitani Regni possessione sine injuria potuerit deturbari, in quo tantummodo versatur status, ac difficultas præsentis controversiæ; sed unusquisque totus sit in coacervandis argumentorum capularibus quisquiliis aluta tunsioribus circa jus Serenissimæ Dominæ Catharinæ, quorum vis, & efficacia in ea tantum occasione valebat, in qua Regnum no-*

ſtrum poſſeſſore carebat: ſed Franciſcus ad ſcopum collimavit, ſolusque medium percußit, acutiſsime diſtinxit, infinita propemodum utriuſque Juris, Theologicæ facultatis, & annalium eruditione illuſtravit, multiplici graviſsimorum doctorum authoritate ſtabilivit, mira ingenii acritate irrupit oppoſitos obices; objecta repagula infregit, ſolidiſsimè reſolvit, & meridiana luce clariùs cum ſumma brevitate concluſit. Quamobrem, ne Luſitani noſtri, ſi tantam lucem in tenebris eſſe patiantur, ignaviæ incuſentur, vel imperitiæ, quaſi neſciant aurum à luto, & a nitro diſcernere Margaritum, tibi gratum; & Regi, patriæque obſequium ſingulare me facturum exiſtimavi, ſi hanc à Franciſco ſcriptam Apologiam typis mandari curarem, & plura ad te exempla impreſſa remitterem, ut phebæis radiis æmula totum terrarum orbem colluſtrarent, ac ignorantiæ caliginem circa juſtitiam Regis noſtri invictiſſimi ab omnium mortalium animis longè removerent. Sparge, fruere, & vale. Amſtelredami pridie Kalendas Octobris Anno ſalutis 1641.

Tui Studioſiſſimus

Martinus Ioſephus.

APOLOGIA Veritatis, ac Iuſtitiæ, præſertim in foro conſcientiæ, Vendicatrix,

Authore M. FRANCISCO FRAYRE *Societ. Jeſ. Luſitano.*

I.



Um hoc Anno 1640 à Servatore nato, prima die, Decembris, Sereniſſimus Dominus JOANNES Dux Brigantinus, Ordine 8, nomine 2, Luſitaniæ Rex fuiſſet acclamatus Vlyſippone, & à toto regno non ſine divinis prodigiis incredibili animorum conſenſu, ac inenarrabili populorum lætitia, & applauſu ſtatim ubique receptus, dubitari cæptum eſt a nonnullis domeſticis timoratis, & à multis externis noſtrarum rerum ignaris, quo jure Joannes regnum acceperit, cum jam ab annis ſexaginta in ejus pacifica poſſeſſione eſſent Caſtellæ Reges, & ſæpe conſultus reſpondi Joannem optimo jure regnum ſibi oblatum acceptaſſe.

Cum

2.

Cum igitur olim Anno 1578 Rex Lusitaniæ Sebastianus in bello Africano vel occubuisset, vel disparuisset, eique Magnus Patruus Henriquus Cardinalis successisset, brevique sine liberis discessisset, Controversia de successione, aliis principibus legitime exclusis, ad Philippum secundum Catholicum regem Castellæ ex Elisabetha Imperatrice Henrici ultimi possessoris Sorore nepotem, & ad Dominam Catharinam Brigantiæ Ducissam ex Odoardo ejusdem Henrici fratre neptem redacta est: & Philippo Monarchæ potentissimo armis undequaque munito Lusitaniam ingredienti regnum solitis ceremoniis delatum, præstitumque est in Comitiis Nabantinis: à Philippo juramentum circa privilegia & immunitates Civitatum, & oppidorum, totiusque Regni, certis clausulis adjectis, conservanda. Quod quidem juramentum similiter præstitere postea 3 & 4 Philippus ejusdem successores in Comitiis Vlysipponensibus: sed non semel à 2 & 3 & sæpissimè à 4 violatum Lusitanorum animos ita commovit, ut iniquissimum jugum amplius ferre non valentes, de Joanne in Regem eligendo deliberarent, non mediocriter impulsi à variis Sanctorum virorum, & Illustrium Prophetarum Oraculis, qui in hoc Anno 40 novum in Lusitania Regem erigendum multis antea sæculis pronuntiarunt.

3.

Itaque tria sunt in hac materia veritatis, ac justitiæ solidissima fundamenta; singula per se sumpta seorsim ac separatim sine mutua unius ex alio dependentia, perfecte integra, & adæquata. Primum est, quòd, nullo Doctore sive Theologo sive utriusque juris consulto discrepante, constat conditiones, & clausulas in primogeniòrum (quale est omnium confessione regnum) institutionibus appositas ad unguem pro legibus esse observandas, ut videre est apud Paulum cons. 164 n. 2. vers 2 *dico* Lib. 2. Jacob. Simaricas de primogeniis Lib. 1. cap. 2. Molin. eod. tit. Lib. 1. cap. 2. n. 27. Burgos de Paz seniorem in proœm. Leg. Tauri n. 126. & juniorem Civili q. 2. n. 11. 31. & 32. Cabid. 1. p. decis. 121. n. 2. Mob. Theolog. tom. 3. d. p. 627. n. 5. Versicul. *Utrum aut.* & disp. 631. n. 2. & alios:

& alios: & ita definitum erat apud nos L. 13. extravag. p. 6. & postea incorporatum est in nova Ordinat. Lib. 4. tit. 100. §. 3. & habetur apud Castellanos L. 40. Tauri. & L. 5. tit. 7. Lib. 5. novæ collection. In prima autem Majoratus Regii Lusitani institutione in generalibus Comitiis Lamecensibus circa regni Successionem adinstar Galliarum, unde primus Rex noster Alphonsus trahebat originem, perpetua Sanctione constitutum est, ut Regis filia extra Lusitaniam maritata, pro se, suisque descendentibus jus Succedendi in regnum amitteret, ne unquam ad externos regni corona deveniret; & constat ex capitulis eorum Comitiorum, quæ refert Doctor Antonius Brandanus Cistersiensis Ordinis in Lusitania Abbas generalis; regnique Maximus Chronicus, quem vulgò dicimus *Cronista Mor.* in 3. p. Lusit. Monarch. Lib. 10. Cap. 13. & à se reperta dicit in simplici codice apud Carthophylaceum Alcobaciense: sed, si rectè memini, Serenissimus Infans Odoardus Frater Joannis IV Regis nostri invictissimi multis ab hinc annis, antequam Brandanus eum librum typis mandasset, ea mihi dixit authentica reperiri in archivo Serenissimæ domus Brigantinæ. Lamecensis autem sanctio sic habet. *Sit ista lex in sempiternum, quod prima filia Regis accipiat maritum de Portugalle, ut non veniat regnum ad extraneos; & si cazaverit cum Principe extraneo, non sit Regina, quia nunquam volumus nostrum regnum ire de Portugallensibus, qui nos sua fortitudine Reges fecerunt, sine adjutorio alieno, per suam fortitudinem & cum sanguine suo.* In hac lege, quæ lata est pro successione fœminarum, in defectu masculorum, jam olim fundati Lusitani Infantem Joannem Aruzianæ militiæ magistrum Regis Ferdinandi Fratrem nothum in Regem elegerunt, ne regni corona deveniret ad Beatricem ejusdem Regis Ferdinandi Filiam unicam, & Joannis Castellani Regis uxorem.

4. Prædicta verò Lamecensium Comitiorũ Capitula jam Castellani fateri debent esse authentica, ex reg. *Quod semel placuit 22. de regulis juris* Lib. 6. quia ea in favorem regum suorum, licet perperam, allegarunt in tractatu nuper Antverpiæ impresso de jure Castellani Regis ad regnum Lusitanum sub ficto nomine

Fratris Joannis Caramuelis Cisterfiensis. Ac proinde certum est formam institutionis Majoratus Regii Lusitani non fuisse observatam in deferenda successione illius Philippo II. Castellæ Regi Catholico; quippe qui natus est ab Elisabetha Imperatrice Filia Regis nostri felicissi Emanuelis, quæ Imperatori Carolo V. extra Lusitaniam nupta est; ac ex eodem capite Dux Parmensis Maynutius Filius Sereniss. D. Mariæ manebat à Successione exclusus; Cùm similiter ejus Mater Maria Catharinæ Soror natu major Alexandro Farnesio homini externo nupta sit. Et cùm D. Antonius Prior Cratensis Filius nothus Infantis Ludoici aliunde non deberet admitti, propter illegitimos natales, unica Domina Catharina avia paterna Serenissimi Regis nostri Joannis IV. supererat Regiæ successionis capax, juxtà formam primæ institutionis; utpote in Lusitania legitimè nata ex Infante Odoardo Filio ejusdem Regis Emanuelis, & ex Jnfanta Elysabetha Jamy Ducis Brigantini Filia.

5. Unde cùm per se notum sit, jus, quod erat in D. Catharina, ad ejus filios & nepotes transiisse. Manifestum quoque est Reges Castellæ semper fuisse injustos, ac violentos possessores, usurpatores, ac detentores Lusitanæ coronæ; & consequenter Joannem IV. Regem nostrum invictissimum, jure optimo, tamquam legitimum D. Catharinæ, & primogenitum ex primogenito ejusdem Catharinæ Theodosio II. Duce Brigantino, vim vi, ubi primùm commodè potuit, repulisse; dejiciendo justissimè ab injusta possessione, & violenta detentatione Lusitani regni Philippum IV. Castellæ Regem patruelem suum juxta legem *Qui possessionem*; & L. 3. §. *Eum igitur. ff. de vi, & vi armata* & L. 2. §. *Et confestim. ff. ad Trebel.* & cap. *Olim* 12. juncta glossa verbo: *cùm statim. de restit. spoliat.* & Ordinat. Lusit. Lib. 4. tit. 58. §. 2. in novis. & tit. 80. in antiquis. De quo Marta disp 1. n. 27. & 28. Menoch. remed. 1. recuperand. n. 232. & à n. 383. Scobar de ratiociniis cap. 31. n. 24. Tiraquel. de cõstit. p. 3. limit 21. n. 11. Avendauo de *exequend. mandat.* p. L. cap. 16. n. 2. Salascus consult. 88. n. 4. & 6. *departit.* cap. 3. n. 11. Caldas forens. Lib. 1. q. 22. à n. 6. & alii comuniter. Imo cùm ex hoc capite manifestum, ac notorium sit non

jus

jus Castellani Regis, quamvis petat restitutionem possessionis, & velit agere via ordinaria de proprietate, non est facienda restitutio, ut notavit Menoch. citat. n. 215. & 233. & Perusin. decis. 17. n. 19. cum aliis.

6. Neque huic principio tam certo, ac evidenti quidquam obstant glossæ, ac declarationes, quas Doctor Antonius Brandanus statim in cap. 14. sequenti adhibuit prædictæ Sanctioni Comitiorum Lamecensium; tum quia futilissimæ sunt, & extra propositum, tum etiam vel maximè, quia videtur eas adhibuisse, ne liber typis mandari prohiberetur à Regibus Castellæ, qui tunc temporis rerum potiebantur, eo quod in manifestum eorum præjudicium forma illa institutionis, & successionis verteretur: Neque prodesse potest Castellanis Regibus beneficium præscriptionis, quia contra futuros successores in majoratu neque longissimo tempore præscribitur, ut elegantissimè cum aliis ostendit Gabriel Pr. decis. 52, a. n. 4. & tenent communiter Doctores in L. *Filius familias §. Divi. ff. de legatis* 1. & in L. finali. *§. sin autem* C. *communia de Legatis*; & nos plures allegavimus consil. nostro 48. n. 3 lib. 2. & cons. 39 n. 4. lib. 3. Neque sine possessione procedit præscriptio Reg. *sine possessione* de *Reg. juris* in 6. Possessio autem Regum Castellanorum in hoc regno Lusitano non erat possessio, sed invasio, intrusio, & mera detentatio, eo quod titulo careret. Cassadorus decis. 4. *de rest. spoliat.* Felin. in cap. *in nostra* n. 12. *de rescript.* Imo erat violenta rapina ex Ordinat. Lusit. lib. 2. tit. 19: ut ex ea notat Gab. Pr. *de manu reg.* cap. 68. n. 10. ad finem, titulus enim successionis erat nullus, ex eo quod esset à Lege comitiorum Lamecensium reprobatus. L. 2. juncta gloss. verbo: *non potuerunt*. C. *de usucapione pro emptore*. Latissimè Sanch. lib. 2. *in decalog.* cap. 23. n. 101. & in possidente cum titulo à jure reprobato semper mala fides præsumitur, reg. *Qui contra jura. De reg. juris* in 6. Ordinat Lusit. lib. 2. tit. 13. §. 5. Neque ignorantia Lamecensis Legis à mala fide in ordine ad præscribendum Reges Castellæ liberabat L. *nunquam 2. ff. de Usucapionis*; ac proinde & possess. & titulo, & bona fide ad præscribendum necessariis carebant.

7. Et ad hanc normam reducenda est Lusitani Senatus decisio 121. apud Cabedrum p. 1. & id, quod dixit idem Cabedus Decis. 27. n. 5. in simili, & tetigit Pereyra d. Decis. 52. n. 13. & Decis. 1. n. 9; cùm etiam ad rem tantummodo præsumendam, vinculo Majoratus subjectam tempus immemoriale requirat Ordinatio nostra Lib. 1. tit. 62. §. 51. Præsertim quia licet jam tres Reges externi Lusitanum Regnum obtinuerint; modus succedendi a lege in prima institutione constitutus non potuit immutari, saltem in foro interno per actus Violentos, impedito legitimo contradictore à suprema potentia & authoritate usurpatoris. arg. reg. in L. 1. C. *de annali except.* item arg. cap. 2. juncta gloss. verb. *cùm spoliatum*; & cap. *super hoc. de renunt.* & arg. cap. *cùm dilect. De iis, quæ vi*: & L. *Nec timorem ff. de eo quod metus causa* & L. *ita demum ff. de receptis arbitris*: & L. *nemo ex suo ff. de reg. juris.* & cap. *sedes*, & cap. *plerumque de rescriptis*: & L. finalis *ff. De conditione ob turpem causam.* & L. 1. *ff. de dolo malo*: & L. finalis *ff. de procuratoribus.* & L. *Cùm quidam §. si pupillo*: Ubi eleganter gloss. verb. *non potuit ff. de Usuris* & L. *non enim ff. ex quibus causis majores*, nam ex his omnibus colligitur, Neque potentiam, neque malitiam Regum Castellæ, vel iisdem prodesse potuisse, vel obesse, legitimis regni Lusitani successoribus in jure, & modo succedendi, dum propter utramque, vel utramlibet à capessendo regno, vel à jure suo prosequendo sunt retardati, ac proinde in Rege nostro invictissimo Joanne IV. ad hæc usque tempora jus illæsum & integrum perseverasse, & consequenter jure optimo delatum sibi regnum acceptasse, Regesque Castellanos injustos, ac violentos ejusdem regni detentores ab injusta possessione justissimè deturbasse.

8. Accedit, quòd quamvis Leges Civiles in foro conscientiæ obligarent; quod plerique Theologi negant, ut videre est apud Sayrum in clavi Lib. 3. cap. 6. & 7. & apud Banocin. d. p. 1. *de legibus*. q. 1. p. 7. & plures ex juris peritis; quos refert & sequitur Mantica Lib. 2. *de conjecturis*. tit. 14. n. 9. adhuc tamen Leges Romanorum apud nos obligare non possunt in foro interno; imo neque leges Pontificiæ, sive canonicæ, quæ respiciunt

ciunt

ciunt regimen politicum, & temporale, quia neque Imperatoribus, neque Pontificibus in temporalibus sumus subjecti; ut egregiè notavit cum aliis Soar. Lib. 3. *de legibus* cap. 8. n. 3. & Reges nostri, tam Cæsareas, quàm Pontificias leges non tamquam leges, sed tamquam instructiones quasdam rationi consentaneas, etiam solùm pro terminandis causis, in foro externo, quando defuerit lex, stylus, aut consuetudo regni, præcipiunt observari. Lib. 2. Ordinat: tit. 5. in antiquis: & lib. 3. tit. 64. in novis: ut in specie notavit Illustriss. Archiepiscopus olim Bracharensis, modo Vlysipponensis D. Rotericus à Cunha in cap. *Adrianus* 63. dist. n. 6. cum Cahed. 2. p. decis. 7. n. 4. & decis. 8. n. 3. Propterea, quanvis dicamus decisionem prædictam 121. rectè procedere, quoad determinationem causæ ibi propositæ pro foro externo, adhuc non urget, ut dicamus in foro conscientiæ censendum fuisse modum succedendi immutatum per successionem effectivam trium Regum externorum in hac corona Lusitana; quia jus positivum, in quo decisio illa fundatur, apud nos non habet locum in foro interno: neque regni consensus in eos Principes externos præjudicavit legitimis successoribus ex reg. *Id quod nostrum ff. de reg. juris*: & arg. cap. *inter dilectos. de Donat.* & cap. *cum dilecti. de iis quæ vi.* & cap. *cum tempore, de arbitris*, & cap. *super controversia, de re judicata*, tum quia, ut eleganter inquit jurisconsultus in L. *bona fides. ff. depositi*, ratio justitiæ postulat, ut fidelitas servanda in contractu, non sit spectanda solùm ex respectu inter contrahentes, sed etiam ex respectu aliarum personarum, ad quas id, quod geritur, pertinet; tum etiam quia talis consensus præstitus est per errorem, quo nihil consensui magis contrarium L. *Si per errorem ff. de jurisd. omnium judicum.* Propterea tamquam indubitabile tenendum est; & constanter affirmandum, quod saltem in foro conscientiæ jus Regis nostri invictissimi Joannis IV. semper integrum, & illæsum perseveravit; ac proinde, quòd cum summa justitia, & ratione acceptavit Regnum sibi soli juxta formam institutionis de jure debitum, & deferendum; ac illud abstulit de potestate Regis Castellani, qui ad tale regnum possidendum, erat incapax juxta tenorem ejusdem institutionis, & ideo nunquam illud suum facere

 poterat,

primogeniorum, in qua sunt ferè pares Doctores pro utraque parte, ut eruditè ostendit Valascus *de Jure emphyt.* q. 50. a. n. 30. & nos plures allegavimus nostro cons. 18. & 57. lib. 1. & cons. 59 n. 6. lib. 4. & cons. 21. lib. 5. quos brevitatis causa omitto: Solùm, ne videamur fugere difficultatem, admitto, & Castellanis concedo pro sua parte probabilitatem, neque pro parte D. Catharinæ majorem volo (quamvis fuerit longè major) sed æquali vel etiam minori, ut rem efficacius premam, in præsentiarum contentus ero, quam nullus vel Tiresias hostis mihi denegabit: Cùm ad opinionem probabilem reddendam non sint necessarii plures Doctores, sed unus in facultate insignis sufficiat ut communiter docent Theologi, in quibus Sanch. lib. 1. in decalog. cap. 9 n. 7. & 10. Filliuc. tract. 21. cap. 4. a n. 134. Bonac. disp. 2. de peccatis q. 4. p. 9. n. 1: & quæcumque probabilitas ad intentum nostrum satis est; quia ex communi Theologorum sententia in qualibet materia licitum & tutum est amplecti opinionem probabilem relicta probabiliori, ut videre est apud Sanch. d. cap. 9. n. 6. 11. & 14. & cap. 10. n. 11. & 32. & lib. 4. cap. 1. n. 16 & cap. 2. n. 52. & lib. 1. de Matrim. disp. 9. n. 11. & lib. 2. disp. 41. a. n. 4. Soar. tom. 5. in 3. p. disp. 40. Sect. 5. n. 14. & Sect. 6. n. 8. Vasques 1. 2. d. p. 65. & 66. Sal. ibid. q. 21. art. 8. d. p. Unica Sect. 23. n. 231. & Diana. p. 2. tract. 13. resol. 1. 2. & 3. & p. 4. tract. 3, resol, 1. 2. & 3. & cum pluribus Bonac. d. p. 9. n. 4.

11. Dato igitur quòd Philippus II. Castellæ Rex Catholicus, ex eo quòd pro sua parte haberet opinionem probabilem, bona fide possessionem Lusitani Regni occupasset (licet Doctor Petrus Hurcadus Castellanus d. p. 169. *de charit.* Sect. 7. in fine dicat inconsultò, ac temere eam occupasse) & quòd eadem bona fides ad hæc usque tempora in ejus successoribus perseverasset; adhuc affirmo quòd Joannes IV. Rex noster invictissimus non fecit spolium, neque vim, aut peccatum commisit, dum Philippum IV. Castellæ Regem à possessione prædicti regni Lusitani dejecit propria authoritate: quia quando pro utraque parte controversiæ datur probabilitas, unusquisque contendentium potest tuta conscientia, rei, de qua est controversia, capere possessio-

possessionem; quando neuter est in illius possessione, ut concedunt Doctores Num. præcedenti allegati: Ergo etiam alter eam poterit extrahere de potestate alterius, qui jam fuerit in possessione illius; quia possessio, cùm sit quid facti, neque jus possidentis auget, neque diminuit jus alterius, qui non possidet.

12. Contra hanc resolutionem, saltem in foro conscientiæ, certissimam, videtur militare commune juris axioma, desumptum ex L. *in pari ff de reg juris*, & ex reg. 65. eodem tit. in 6. quòd in pari causa semper sit melior possidentis conditio. Nihilominus hoc axioma solum habet locum, quando intervenit proprium dubium sine assensu probabili pro alterutra parte, quia quando nullo modo discerni potest ad quem ex duobus, vel pluribus res pertineat, conforme est naturali æquitati ac rationi, ut non auferatur ab eo, qui eam possidet, & habet in sua potestate: quanvis enim possessio sit merum quid facti, neque in se jus ullum includat, vel illud tribuat possidenti, nihilominus habet quandam tituli similitudinem, quæ præstat actionem possidenti ad retinendum rem possessam: sicut ille qui rem Domino carentem primus occupat, & ideo in §. *Feræ* instit. *de rerum divisione*, & in L. *quod enim ff de acquirendo rerum dominio*, eleganter dixit juris consultus: *Quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur*: Cæterum quando pro utraque parte datur assensus, & opinio probabilis, non habet locum illud axioma, ut communiter tenent Doctores quos allegat & sequitur Barbos. in collect. ad illam regulam 65. Sanchius d. lib. 1. in Decal. cap. 9. n. 53. & lib. 4. cap. 1. n. 16. & lib. 2. *de Matrim*. disp. 41. n. 30. Soar tom. 4. in 3. p. disp. 22 sect. 9. n. 6. in fine. Vasq. 1. 2. disp. 63. ad finem. Filliuc. tract. 21. cap. 4. Vb. n. 142. Bonacin. disp. 2. *de peccatis* p. 4. 6. 9. n. 15. & 16.

13. Unde provenit, quòd siquis habeat jus probabile ad aliquam rem à tertio possessam; possit licitè contendere in judicio ad illam per sententiam judicis de potestate possessoris extrahendam, sibique vendicandam: & id possit advocatus procurare, & quilibet Doctor consulere, quanvis jus actoris sit minus probabile, ut communiter docent Theologi, & videri potest in Sayro lib. 1. Clavis regiæ cap. 12. n. 13. Sanch. d. cap. 9. n. 54.

Salas

Sala. d. disp. unica Sect. 11. n. 104. Vasquez. citat. disp. 64. cap. 1. n. 3. Azor 1. p. Lib. 2. cap. 17. quæ ultima. Diana cum aliis 2. p. tract. 13. resol. 4. 5. & 6. Bonacin. & Filliuc. Locis citatis. & similiter judex ex eodem capite etiam judicando secundum opinionem minus probabilem, saltem ex parte juris; potest rem à possessore per sententiam auferre, & adjudicare actori non possidenti, ut communiter tenent Doctores, & videre est apud Savrum. n. 8. Salas Sect. 12. n. 118. Filliucium n. 145. Bonac. n. 13. ad finem cum Aragonio, Salonio, & cum pluribus. Dianam resol. 3. Eodem modo dari potest bellum formaliter justum ex utraque parte inter duos principes; Si uterque habeat opinionem probabilem pro sua parte circa materiam, de qua est controversia, ut communiter admittunt Doctores, in quibus est Covarubias ad reg. *Peccatum*. p. 2. §. 6. n. 10. Filliuc. tract. 29. cap. 9. n. 185. Azor 3. p. lib. 2. cap. 7. q. 2: 4: & 29. Molin. tom. 1. d. p. 103. Salas citatus Sect. 15. a. n. 121. Turrian. in 22. d. p. 90. dub. 2. Suar de charit. disp. 13. Sect. 6. n. 4. Bonac. cum aliis d. p. 2. *de restit*. q. ultima. Sect. 1. §. 2. n. 11.

14. Sed accedendo ad casum nostrum in specie, ac in terminis in dividualibus, adverto quòd duo tantummodo Doctores illum disputarunt; nonnulli obiter tetigerunt. Sed omnes Castellani: Primus, qui disputavit, fuit Vasques citatus disp. 64. cap. 3. ubi resolvit, quòd Princeps, qui non possidet, non potest bellum movere contra possidentem, neque illum à possessione deturbare, quanvis habeat jus probabile ad idem regnum, quod alter possidit. Idem tenet obiter Soar. proximè citatus. n. 3. Molin a n. 2. Montezin. in 22. tom. 1. disp. 29. q. 3. n. 224. Villalobos tom. 1. tract. 1. diff. 17. à n. 6. & ex parte Hurtad. disp. 169. de *charitate* Sect. 6. §. 59. & 60. Nihilominus recentior Sanch. qui post Vasques quem ventilavit in suis practicis disp. 44. a. n. 54. Latè ac nervose cum pluribus contrarium probat, quia Vasques, & illius sequaces omnes in eo tantum fundantur axiomate: quòd in pari causa melior sit conditio possidentis; Cùm tamen idem Vasques paulo antè in disp. 63. ad finem, ut diximus n. 12. ingenùe confessus esset, & reliqui omnes fateantur, quòd solum in

casu proprii dubii, non verò quando pro utraque parte datur assensus, & opinio probabilis, locum habet illud axioma de meliori possidentis conditione, ut d. n. 12. demonstratum est: alioquin neque pars quæ non possidet licitè posset petere in judicio rem à tertio possessam; quanvis ad illam jus probabile haberet, neque advocatus id procurare, neque aliquis Doctor consulere, neque judex sententiam ferre contra possessorem, & semper foret injusta, & superflua lis intentata contra possessorem, quando pro utraque parte daretur, ut plerumque datur, opinio probabilis; quæ tamen omnia, & à communi sensu abhorrent, & aliena sunt à judicio communi illorum omnium Doctorum, quos. n. proced. allegavimus. Imo etiam quando intervenit proprium dubium, existimat Huitad. d. §. 60. formari posse judicium, quòd liceat possessorem bonæ fidei spoliare: & saltem quòd teneatur in tali casu possessor dividere, vel compositionem facere cum alia parte non possidente, ad minimum quando intellectus in dubio magis inclinat in partem contrariam, vel si ea contradicente ab alio possessio est occupata, docuit tamquam probabilius Sanch. lib. 2. de *Matrim.* disp. 41. n. 19. cum Soto, utroque Ledesm. Salon, Bavir. & Valent. & postea Lib. 1. *in Decalog.* cap. 10. n. 9. dixit esse probabile, & Molin. tom. 1. d. p. 81. & disp. 103. à Versu *illud.* absolutè affirmavit.

15. Neque contra hanc secundam, saltem in foro interno, indubitabilem resolutionem quidquam facit ratio spolii, & violentiæ, quæ consideratur, & punitur apud forum externum, in eo, qui propria authoritate, & privata vi possessorem spoliat L. *Siquis. in tantam. C. unde vi. §. ita tamen* inst. *de vi bonorum raptorum. §. sed ex Constit.* inst. *de interd.* & Ordinat. Lusit. lib. 4. tit. 58. quia talis prohibitio solùm est de jure humano ut fatetur idem Vasques d. disp. 64. cap. 3. n. 8. cum Victoria in relect. *de jure belli.* a. n. 27. & hujusmodi leges pænales sunt, ut constat ex ipsarum tenore, & pænis constitutis in iisdem contra spoliatores, & adhuc concesso, quod Leges civiles in conscientia obligarent, de quo diximus, n. 8. Nihilominus pænales Leges violatæ culpam non inducunt, ex mente Navarri, Jasonis Decii, Gomez, & aliorum, ut videre est apud Lessium lib. 2. cap. 33, dub. 8. n. 54.

Sal, de

Sal. de Legibus disp. 15. Sect. 1. n. 6. Soar. eodem tit. lib. 80. cap. 3. n. 4. Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 15. a. n. 1. Valent. p. 2. disp. 7. q. 5. prob. Azor 1. p. lib. 5. cap. 6. q. 1. Bonac. de legib. disp. 1. q. 1. p. 7. §. 2. n. 3. & de nonnullis id admittunt Illustriss. Acunia in cap. *factæ sunt* 4. dist. n. 2. cum Reginal. & aliis: & de jure civili non potest fieri compensatio in deposito L. finali C. *de compensationb* & L. penultima C. *Depositi*; & nihilominus Taner. in 22 disp. 5. q. 6 dub. 14. n. 141. cum Navarro, Lessio, & aliis quos refert & sequitur Diana 3. p. tract. 5. Miscel resolut. 10. talem compensationem admittunt in foro conscientiæ: Similiter de jure civili non admittitur compensatio, nisi de specie, ad speciem L. *si convenerit*. 2. in principio *ff. de pignorat. actione*; vel de quantit. ad quantitatem L. *Si constat* C. *de compensat.* & tamen in foro conscientiæ Theologi eam admittunt in quocumque debito ex justitia, ut videre est apud Bonac. disp. 1. *de restit.* q. ultima. p. 2. §. 1. n. 10. & 13. & nos diximus cons. 49. Lib. 4. ac proinde ex nullo cap. dici potest, quòd Rex noster invictissimus Joannes IV. acceptando, & occupando regnum Lusitanum, ac ab ejus possessione dejiciendo propria authoritate Regem Castellæ, commiserit excessum aliquem, vel peccatum; neque etiam quòd illud committat in retentione ejusdem regni, & defensione possessionis semel acceptæ.

16. Neque multum curandum est de Doctoribus qui nobis vel sunt, vel videntur esse contrarii: dum tenent eum, qui non possidet, non posse propria vi, & authoritate spoliare possessorem bonæ fidei; licet jus probabile, vel etiam probabilius habeat ad eandem rem; nisi certum sit jus spoliantis, in quibus sunt omnes, qui non admittunt probabilitatem, sed requirunt. Certitudinem juris ad occultam compensationem faciendam. Ut Bonac. disp. 1. de rest. q. 2. p. 2. n. 15. Sanch. *de Matrim* Lib. 2. disp. 44. a n. 3. cum aliis; non, inquam, de iis multum curandum est; tum quia sibi ipsis contrariantur, dum fatentur conditionem possidentis in solo dubio esse potiorem; & tamen ex hoc fundamento negant occultam compensationem, & spoliationem propria authoritate faciendam ab eo, qui jus probabile, vel etiam

probabilius habet ad eandem rem: tum etiam quia loquuti videntur secundum jus positivum prohibens spoliare propria authoritate possessorem; quod perperam existimant obligare, saltem si pœnale est, in conscientia, de quo diximus, n. præcedenti.

17. Et quidem Sanch. valde perplexus est, in ea disp. 44. circa decisionem hujus difficultatis, modo omnimodam, modo non omnimodam certitudinem; sed eam, quæ cum exiguo dubio sit conjuncta, in spoliante requirens, licet lib. 4. in Decal. cap. 5. n. 6. & 7. in omnimoda certitudine magis firmus consistat: Deinde jus positivum in locis citatis, non solum bonæ, sed etiam malæ fidei possessorem prohibet spoliari privata authoritate; & tamen nullus theologus negat posse dominum rei certum, saltem quando aliter commodè non potest, spoliare furem, sive malæ fidei possessorem propria authoritate; ut de occulta compensatione ex communi sententia docet Bonac. d. disp. 1. de rest. q. ult. p. 2. n. 18. & in nostris terminis cum Soto & Sylvest. tenet Less. lib. 2. cap. 12. dub. 11. Unde in cap. *in Litteris. § de restit. spoliatorum* jus civile dicitur rigorosum dum in L. 1. *§. qui a me. ff. de vi, & vi armata*, decernit prædonem esse restituendum, & ideo in eodem jure Civili semper æquitatem præferendam esse juris rigori decernitur L. *Placuit.* C. *de judiciis.*

18. Imo neque contra dispositionem juris civilis fecisse videtur Rex noster invictissimus: quia cùm Philippus II. Lusitaniam armatus ingrediens vim fecisset legitimis successoribus in jure suo. Joannes vim vi repulit, quando commode potuit: juxta dispositionem ejusdem juris. Ut patet ex dictis. n. 5. præsertim quia Philippus toti rei publicæ Lusitanæ vim fecit: dum non expectavit illius Sententiam circa successionem regni; quam pronuntiare de jure adipsam spectabat: ut tenent communiter Doctores, quos infra n. 34. referemus: neque enim sententia Ayamontana, nomen sententiæ merebatur, juxta L. 4. *§. condemnatum ff. de re judicata:* quia nulla fuit; tum quia lata fuit extra territorium Regni L. finali *ff. de jurisdictione omnium judicum.* cap. *novit de officio Legati.* & cap. 2, *de constit.* in 6. tum etiam quia

quia non omnes judices à regno designati Ayamontem convenerunt, neque talem sententiam pronuntiarunt L. *si in tres* aliàs *item si unus. ff de receptis arbitris* cap. *Nicæna* 36. dist. neque obstat. cap. 2. *de arbitris* in 6. non solùm quia est apertè contrarium juri Civili; Sed etiam quia in eo tantùm casu habet locum, in quo minor pars arbitiorum, voluntariè, vel malitiose interesse negotio noluerit: In nostro autem casu justissima dabatur causa non interessendi: quin etiam Philippus ante eam quoque invalidam sententiam vim intulerat, quia ante illam prolatam exercitum in Lusitaniam immiserat: ac proinde cùm Joannes Rex noster invictissimus totius regni, cui vis fuerat illata, publica authoritate possessionem invaserit, & Castellæ Regem ab ea dejecerit, spolium, & violentiam, minime commisit, ut constat ex legibus, n. 5. allegatis & ex L. *qui authore. ff. de reg. juris*, & L. *juste possidet ff. de acquirenda possessione*, in quibus decernitur, neque spolium committere, neque vim inferre, qui publica authoritate possessionem occupat, vel se à vi illata, quando commode potest, etiam vim vi repellendo, defendit, & reddit indemnem.

19. Duplex est locus in jure Canonico, in quibus Sanchez præcipuè fundatur; sed uterque favet potiùs, quàm contrariatur nostræ resolutioni: alter est in cap. *si Virgo* 34. q. 2. *ibi si Virgo nupserit nesciens viro alieno; si semper nesciat nunquam ex hoc adultera erit: si autem sciat, jam ex hoc adultera esse incipit.* Qui sane textus aperte loquitur de nescientia impedimenti habita à principio Matrimonii, ante consumationem, & copulam, per quam conjux in conjugem acquirit possessionem, ut rectè cum aliis docet idem Sanch. lib. 7. *de Matrim.* disp. 112. a. n. 6. & de scientia post consumationem adveniente: & loquitur per ord. ad petendum potiùs, quàm ad reddendum debitum, quia adulter est qui alieni conjugis corpore utitur L. *inter liberas ff. ad L. Iuliam de adulteriis*, gloss. in L. *si ea.* verbo: *adulteris* C. eod. tit. & fatemur eum, qui certo novit rem non esse suam, sed alienam, eam petere, vel retinere non posse: Si tamen probabiliter credat esse suam, & petere & retinere illam potest: Unde locus iste à contrario sensu pro nobis est. cap. *non ne: de Præsumpt.* ut clarius constabit ex declaratione alterius loci.

20. Est

20. Est igitur alter locus in cap. *Inquisition. de sent. exciis.* ibi: *Verum cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, quanvis non evidenti & manifesta, debitum quidem reddere potest; sed postulare non debet, ne in alterutro, vel contrà legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Ubi quidem definitur conjugem qui habet opinionem probabilem impedimenti supervenientis, posse alteri conjugi possessori, qui certus est de jure & possessione sua, per contractum, & copulam antecedentem, reddere debitum: in quo omnes convenimus, quia certum prævalet incerto: opinio autem, quantumvis probabilis, semper est incerta, scientia vero certa, & certum ad majorem securitatem ubique tenendum est, incertum dimittendum cap. *si quis* dist. 7. *de pœnit.* Imo cùm Pontifex dicat, *Debitum quidem reddere potest*, videtur insinuare, quòd etiam possit negare, quia verbum *l. potest*, quando ponitur affirmativè, non importat necessitatem, sed voluntatem L. *sæpe. ff. de offic. præsid.* L. *non quidquid. ff. de judiciis* L *Verbum oportere ff. de Verb. obligat.* Bartol. in L. *Gallus.* n. 4. *ff. de liberis & posthumis:* & huic expositioni consonat Doctrina ejusdem Sanch. lib. 4. in decalog. c. 1. n. 16. & Soarii tom. 4. in 3: p. disp. 22. Sect 9. n. 6. in fine, ubi docent cum aliis communiter debitorem, qui pecuniam mutuam accepisse certus est, posse quidem eam solvere, sed non teneri ad solvendum, si probabiliter credat jam à se factam fuisse solutionem. Unde jam constat, quòd textus iste nobis favere videtur, quia sicut conjux probabiliter conscius de jure suo ad non reddendum, poterat quidem reddere, si vellet, non tamen reddere tenebatur, sed alterum conjugem possessorem poterat spoliare, ita Rex noster invictissimus, licet posset dissimulare, & non auferre regnum à Rege Castellæ, non tamen tenebatur id efficere, & silere, sed poterat eum spoliare: quatenus vero Pontifex addit, *Sed postulare non debet*, intelligitur quando simul non habet probabilem assensum de non existentia impedimenti; Nam si simul habeat talem assensum, etiam postulare potest, ut in ea disp. 44. n. 4. in fine fatetur idem Sanch. ac proinde Rex noster invictissimus, cum haberet non modo probabilem, sed longe probabiliorem opinionem pro sua parte, etiam

etiam stando in sola juris dispositione, & seclusis aliis rationibus, quæ in forma institutionis habent evidens fundamentum, & petere potuit, & auferre à Philippo regnum Lusitanum, in cujus possessionem, nec ejus avus Philippus II. nec ejus Pater Philippus III. nec ipse ingressus est cum jure certo, sed ut plurimum cum opinione probabili, stando in præcisis terminis hujus secundi fundamenti.

21. Propterea Castellani præsentientes id, quod erat futurum, & subodorati debilitatem juris, quo Reges eorum Lusitanum regnum possidebant, ut causam suam aliquo honestiori prætextu condecorarent, inter alia figmenta, quæ in prædicto tractatu Antverpiæ nuper impresso sub ficto nomine fratris Joannis Caramuelis publicarunt, illud quoque admiscuere, dicentes quòd Lusitaniæ corona nunquam, ac nusquam à Castellana legitime fuit separata, ac dismembrata; ac proinde quòd semper reges Castellæ jus in ea retinuere, & potuere illam ab ipsis regibus Lusitanis adhuc viventibus, tamquam ab injustis possessoribus auferre: Sed egregiè decipiuntur, tum quia certum est tempore immemoriali majoratum, vel in totum, vel in partem præscribi posse, etiam contra futuros successores; ut ostendit cum communi Doctorum Gabriel Prima dicta decis. 52. & constat Lusitanam Coronam in regibus suis per annos plusquam 440. fuisse separatum à Castellana; tum etiam quia certum est Regem Castellæ Alphonsum 6. imperatorem nuncupatum, dedisse in dotem ob egregia facinora in bello edita contra Mahometanos in Hispaniis Henriquo Lotaringio nostrorum Regum progenitori, cum filia sua Infanta Taresia sub titulo Comitatus eas Lusitaniæ terras, quæ jam à Maurorum erant potestate liberatæ; & jus recuperandi cæteras, quas Mauri adhuc in Lusitania possidebant, ut constat ex Lusitanis & Castellanis historiis: & fatetur Molina tom. 3. disp. 632. n. 7. Michael de Aguirre in Apologia pro Rege Philippo II. p. 2. n. 36. & ex eo refert Gabriel Prima decis. 2. n. 1. & Rodericus Mendez a Sylva in Catalogo regio agens de rege Alphonso VI: & quanvis non constaret de hoc titulo, is à tempore immemoriali inducitur, ut tenent communiter Doctores, quos refert & sequitur Pereyra d. decis. 52. n. 6. & *de manu*

regia

regia cap. 2. n. 4. Molin. tom 1. disp. 70. n. 8. Covasrub. 1. variarum cap. 10. n. 14. & cap. 17. n. 11. & in regul. *Possessor* 2. p. §. 3. n. 2. Valascus *de jure emphyt.* q. 8. n. 36. Gomez. 2. Variar. cap. 15. n 27.

22. Quin etiam const t prædictam dismembrationem coronæ Lusitanæ à Castellana factam fuisse intervenientibus solennitatibus requisitis; quia & Rex Alphonsus VI. & populus suum præstitere consensum, quem Pontifex Romanus speciali rescripto confirmavit, ut refert Petrus Mariz in suis dialogis cap. 3. & ex eo Gabriel Prima *de manu regia* cap. 24. n. 3. & quanvis solennitas requisita non intervenisset, elapso Decennio præsumitur intervenisse. L. *si filius Famil.* C. *de petit. hæredit.* Ubi communiter Doct res, quorum plures allegavimus consi[l]. 30. n. 2. & cons. 69. n. 3. Lib. 3. & consil. 36. n. 4. & consil. 57. n. 3. Lib. 4.

23. Denique in eodem Caramuelis tractatu commenti sunt Castellani in forma institutionis Majoratus Regii Lusitani constituta in Comitiis Lamecensibus exclusam fuisse repræsentationem in ordine succedendi, dum vocatur Filius masculus primogenitus Regis, & per mortem primogeniti vocatur secundo genitus; & sic de cæteris, in defectum autem masculorum fæminæ admittuntur. In isto tamen commento non modo falsitatem, sed etiam ignorantiam suam manifestarunt: Certum enim est quòd omnis dispositio, & constitutio intelligenda est loqui in terminis habilibus cap. *ex nobis* 1. *de sent. excommunic.* & gloss. communiter recepta in cap. 1. verb. *ab omnibus. de constit.* de jure autem communi fideicommissum descendenti relictum non transit ad substitutum, nisi hæres gravatus sine liberis discedat L. *cum accus. ff. de condit. & demonstrat.* Ubi communiter Doctores, & primogenia nostra fideicommissis Romanorum æquiparantur, ut recte notavit Cahedus. p. 2. decis. 51. n. 4. & ideo si in fideicommissis de jure Cæsareo datur repræsentatio, per eum modum vocandi non est exclusa; Imo, ut argumentum retorqueamus, per illam seriem vocationis constitutus est ordo linearum, & nunquam admissa est fœminina, nisi in defectu Masculinæ; ac proinde cùm unusquisque filiorum Regis Emanuelis lineam

suam

suam constituisset, ut rectè notavit Gabriel Prima decis. 59. n. 6. cum Castillo lib. 3. cap. 15. n. 2. & aliis: & D. Catharina Regis nostri invictissimi avia paterna foret in linea masculina Infantis Odoardi Patris sui; Philippus verò secundus Rex Castellæ in linea fœminina Elisabethæ Imperatricis Matris suæ, non potuit D. Catharinam, ejusque descendentes excludere; nec ipse ad successionem admitti, quandiu aliquis de linea aliqua masculina filiorum Regis Emanuelis superesset.

24. In tuto igitur posita Regis nostri invictissimi Joannis IV. conscientia, ex prædictis duobus fundamentis: alia via pro 3. non infeliciter ex abundanti tentari potest: Dato non concesso quod Reges Castellæ Lusitanum regnum ad hæc usque tempora legitimè tenuerint: adhuc enim in tali casu dicendum credo; quod opt. jure Reges Castellæ per nobilitatem & populum Lusitanum regno privati fuere, & electus ab iisdem Joannes IV. Rex noster invictissimus: propterea quòd prædicti Reges Castellæ, & præsertim Philippus IV. non observavit conditiones, leges, clausulas & juramenta, quibus ei regnum à populo datum est; sed regia potestate incredibiliter abusus est, in perniciem, & omnimodam destructionem ejusdem reip. à qua talem potestatem, & regiam dignitatem accepit.

25. Ad intelligentiam verò, & probationem hujus fundamenti supponendum est primò, Regiam potestatem in singulis regnis a populo, sive à rep. perfectaque communitate in reges suos sub certis conditionibus, clausulis & obligationibus fuisse translatam, & ubi per successionem defertur, in Majoratum fuisse per contractum inter vivos institutam. Ita communiter utriusque juris periti, in quibus est etiam Navar. in cap. *novit.* Notab. 3. *de judiciis*, & Covar. pract. cap. 1. n. 6. Panormit. & alii cap. *per venerabilem: qui filii sint legitimi*, quos unanimi consensu sequuntur Theologi: Soar *defens. fidei.* lib. 3. cap. 2. à n. 10. & lib. 3. de legibus cap. 4. Molin. tom. 1. à disp. 21. Tanerus in 22. disp. 5. q. 5. dub. 1. 2. n. 8. D. Thom. 1. 2. q. 9. art. 3. ad 2. & q. 97. art. 3. ad 3. Caet. in opusc. de pot. Papæ p. 2. cap. 2. & 10. Victoria in releċt. eod. tit. n. 21. & cum pluribus Diana p. 1. tract. 2. resolut. 125. Cabed. cum

aliis Legistis p. 2. decis. 8. n. 2. & decis. 40. n. 9. & nos notavimus in libello, quem Manifesti titulo scripsimus de motu Eboræ excitato contra præsidem anno 1637. die 21 Augusti in prognosticum, & auspicium præsentis felicitatis §. 2. ex Augustino lib. 3. confessionum cap. 8. nec non ex L. 1. & 2. *ff. de orig. juris.* & L. 3. *ff. de constit. Princip.* & §. *sed & quod Principi. inst. de jure naturali.*

26. Supponendum est, 2. omnem majoratum institutum per contractum inter vivos, esse donationem factam sub modo, vel conditione, ut docet Molina jurista lib. 1. de primog. cap. 1. n. 16. & approbat, ac declarat optimè Mol. Theol. tom. 3. disp. 577. n. 7. Soar. quoque potestatem, ac dignitatem regiam vocat donationem à populo factam d. lib. 3. *defens. fidei* cap. 3. a n. 2. & d. lib. 3. *de legibus* cap. 4. n. 4. ubi n. 5. ad finem addit hæc verba: *Et quia res transit ad successorem cum suo onere, conditiones illæ, cum quibus primus Rex à republica regnum accepit, ad successores transeunt, ita ut cum iisdem oneribus regnum habeant.*

27. Supponendum est 3. donationem, contractum, & quamcumque aliam dispositionem factam sub conditione habente tractum successivum, tandiu valere, quandiu conditioni paretur, qualis est conditio Morandi L. 4. §. finali. *ff. de alimentis, & cibariis Legatis.* & L. *qui concubinam* §. *Uxori ff. de Legatis* 3. & conditio non nubendi in viduis auth. *de nupt.* §. *quæ vero.* collat. 4. & auth. *cui relictum C. de indicta Viduit.* & conditio, si castè vixerit arg. *L. Filiæ ff. de annuis Legatis* & L. *Pater Severinam* §. finali *ff. de Legatis* 2. & similes, in quibus dum paretur conditioni, rata manet dispositio; ubi vero non paretur, evanescit, ut tetigit gloss. in cap. *Olim.* 12. verbo *traditam sub conditione, de restit. spoliat*; & tractat eleganter Sanch. lib. 7. *de Matrimon.* disp. 91. a. n. 6. cum aliis, & nos diximus in tract. *de testamentis* cap. 72. & consil. 34. lib. 2. Merez *de Majoratu.* 1. p. q 57. & Surdus *de alimentis.* tit. 4. q. 15.

28. Supponendum est 4. omnem donationem, & quamcumque aliam dispositionem factam sub modo, vel ita fieri, ut intentio donantis, sive disponentis sit, quòd talis donatio, vel dispositio habeatur

habeatur statim pro revocata & nulla, ubi primùm modus, sive onus non impletur; vel quòd pro revocata non habeatur, id tamen prudens arbitrio suo definire debet juxta circumstantias, & materiam dispositionis, ut notatur in L. 2. §. finali. & L. 3. *ff. de donationib.* & L. 1. C. *de donationibus, quæ sub modo:* & quoties relinquitur in testamento Legatum sub aliquo onere, tenetur de jure Legatarius, antequam recipiat Legatum, præstare cautionem de onere adimplendo, & de re cum fructibus restituenda, nisi onus adimpleat. *L. quibus diebus §. Termilius ff. de condit. & demonst.* Ubi communiter Doctores cum Bartol. Gom. 1. Variar cap. 12. n. 6. Molin. de primog. lib. 2. cap. 12. n. 23. Mol. Theol. tom. 1. disp. 108. & nos cum aliis diximus cap. 73. *de testamentis.*

29. Supponendum est 5. donationes etiam natura sua irrevocabiles, & puras, factas inter vivos, variis de causis posse revocari, ut constat ex toto C. *de revocandis donationib.* & ex cap. finali *de donat.* & ex Ord. nostra Lusitana lib. 4. tit. 63. Ubi in remissionibus cum pluribus Barbos. Mol. tom. 2. disp. 281. Azor 3. p. lib. 11. cap. 8. Lessius lib. 2. cap. 18. Gomez. 2. variar. cap. 4. Filliuc. tract 34. cap. 6. Julius Clar. §. *Donatio.* q. 21. Bonac cum aliis disp. 3. *de cont.* q. 13. p. ultimo n. 2. & nos diximus latè lib. 2. *de cont.* cap. 2. a. n. 6.

30. His ergo suppositis, mirum & lamentabile est, quantum humanus intellectus, vel obnubilitur, vel reprimatur à timore supremæ potestatis: Unde credo evenisse, ut multi Recentiores Doctores scriberent non licere unquam reip. revocare donationem regi factam; potestatemque regiam in eum semel collatam ab eodem auferre, ut tenet cum aliis Salas. disp. 7. de legibus Sect. 16. n. 79. & Bonac. eod. tit. disp. 1. q. 1. p. 3. n. 6. Sed audentiores, & constantiores fuere plures ex antiquis, quos refert idem Salas & D. Antoninus p. 1. tit. 18. cap. unico: vers. *Lex secundum Isidorum*, cum quibus etiam doctissimus Bellarm. & Navar. quos refert & sequitur Soar. lib. 3. *defens. fidei* cap. 3. n. 3. & lib. 6. cap. 4. n. 15. id verissimum esse dicens cum Molin. tom. 4. tract. 3. disp. 6. D. Thom. lib. 1. de regim. Princ. cap. 6. Soto lib. 1. de just. q. 1. art. 3. Banez. 22. q. 64. art. 3. dub. 1. & aliis qui omnes constanter, ac verè affirmant populum,

 sive

five remp. nunquam ita suam potestatem in Principem transferre, quin eam in habitu retineat, ut ea in certis casibus uti possit; & adhibent exemplum in eo casu, quo Rex justam suam potestatem verteret in tyrannidem; illa in manifestam regni perniciem abutendo: Quia tunc, inquiunt, posset populus naturali potestate ad se defendendum uti, hac enim nunquam se privavit: & hoc ipsum insinuare videtur idem Soar. lib. 3. *de legib.* cap. 10. n. 6. & 7. dum dicit, pœnam privationis regni, nullo jure latam esse ipso facto contra reges iniquos; quasi verò per sententiam privari possint; ut plerique ex citatis Doctoribus volunt, & nos inferius discutiemus.

+ in regnis

31. Confirmatur ista resolutio ex suppositis, ~~quae regnis~~ majoratus est donatio à popula facta regi, ejusque successoribus; vel sub conditione, vel sub modo, vel absolutè inter vivos: sed donatio facta sub conditione habente tractum successivum, statim censetur revocata, ubi conditioni non paretur; & similiter ea, quæ fit sub modo resolvendo in conditionem: & quanvis non resolvatur in conditionem, revocari tamen potest; saltem in eo casu, in quo revocare licet puram donationem: ergo aliquis casus assignandus est, in quo donatio regiæ dignitatis revocari queat à populo donatore: neque videtur alius magis oportunus, quàm is, in quo Rex collata potestate omnino abutitur in perniciem totius regni: neque enim censendus est populus dedisse potestatem in suam ipsius destructionem, & ruinam, cum neque Deus id efficiat teste Paulo 2. Corint. 10.

32. Catholicus autem Castellæ Rex Philippus IV. ut antecessores ejus omittamus, regia potestate in manifestam Lusitaniæ ruinam abutebatur; ut occulta de Lusitano nomine pessundando, ac penitus extinguendo machinamenta in Secretarii scelestissimi interfecti scriniolo inventa; & multo anteà per conjecturas non obscuras deperhensa palam faciebant: eaque secreta consilia factis iniquissimis se prodebant; nam Civitatum privilegia, Oppidorum, Conciliorum, regnique totius immunitates, & stylos à se juratos per summum nefas infringebat; tributa importabilia contra formam præstiti juramenti imponebat; quorum etiam nomina exquisita hominibus externis credo fore incredibilia, &

ideo.

ideo, ne veritatis, quam vendicare profiteor, fides periclitetur, aliis nominatim recensenda relinquo: execrabilem simoniam, supremas Ecclesiarum dignitates, & tiaras plus licitantibus vendendo, exercebat: Ecclesias, personasque ecclesiasticas, per nefanda sacrilegia miris ac mille modis divexabat; nobilitatem extinguere, ac omnino delere illustriores regni familias, earumque splendorem obnubilare; regnumque gloriosissimum Orientis, & Occidentis Dominium in abjectissimam provinciam Castellanæ servitutis jugo suppositam redigere contra præstitum Sacramentum variis conatibus satagebat: Collectorem Pontificium per summum dedecus Apostolicæ sedis, & æternam labem Lusitanæ pietatis Ulyssippone jussit obsidere, & turpissimè vinctum à regno exulare: Comendas ordinum militarium institutas in præmium bellicæ virtutis, & veræ nobilitatis insignia, aliasque reip. dignitates, & officia vilissimis hominibus Venalia faciebat, arces præsidiis necessariis destituebat ut hostibus paterent, milites fame, ac nuditate confectos vel enecabat vel ad latrocinia invitabat: Classes omnino necessarias ad oram tutam comerciis, mercatoribusque domesticis ac externis reddendam, penitus extinxit, ut Algerium, Tutuanum, Salecum, Marrochium, & Fessa non solùm divitiis, sed etiam miserrima Lusitanorum captivitate replerentur; ita ut universa penè Lusitania parentum, fratrum, maritorum, cognatorum, & amicorum miserabilem servitutem, & à fide aliquando defectionem ubique viduata lugeret: navigationes in quibus tota res Lusitana consistit, omnino deseruit, ac subtili tacitaque rerum substractione labefactavit: Minam in Africa, Ormusium in Asia, in America Pernambucum, aliaque Lusitanæ ditionis loca magni momenti & emolumenti, per summam incuriam, nec sine Lusitani nominis infamia, & dedecore amisit, & plura alia atrocissima scelera per negligentiam, & ignaviam, vel per malitiam in regimine commisit, vel committi per ministros suos permisit; neque populorum ad eum sæpius clamantium gemitus audiebat; sed Roboamo similis jugum in dies magis ac magis aggravabat, ut impleretur quod dictum erat à Domino per se, & per servos suos Prophetas, quod in 16. generatione Sanctissimi Regis nostri Alphonsi Primi attenuata, antequam annus quadragesimus clauderetur,

deretur, respecturus erat ipse Dominus, & visurus, & Lusitano populo novum, propriumque Regem daturus.

33. Certè propter unicum, ac singulis relatis multo levius crimen minatus est Pontifex Romanus privationem regni filio primogenito Regis Ungariæ, ut constat ex cap. *licet devoto:* & propter multo minora privavit hoc ipso Lusitaniæ Regno, saltem quo ad regimen, & administrationem Sanctium. 11. ut constat ex cap. *Grandi. de supplenda neglig. Prælatorum. lib. 6* & Cheldericum Galliarum Regem deposuit. cap. *alius* 15. q. 6. & plures alios Reges, ac Imperatores; quos recenset Soar. lib. 3. de fenifid. cap. 23. n. 15. & lib. 6 cap. 4. n. 17. & utrobique cum pluribus ostendit posse id efficere Pontificem Romanum per sententiam suam, respiciendo semper bonum Spirituale reip. ~~animæ~~ Christianæ ex cap. *Novit. de judiciis* cap. *per Venerabilem de Elect.* & aliis: Ubi in collect. cum multis de more suo Barbos. & Gab. Prima *de manu reg.* p. 1. prælud. 2. n. 16.

34. Præciso tamen respectu ad bonum spirituale, non est ea potestas in Pontifice, sed in rep. quod fatetur Soar. d. lib. 3. cap. 3. n. 3. & d. lib. 6. cap. 4. n. 15. & disp. 22. de fide sect. 6. n. 8. Molin. d. disp. 6. tom. 4. & tom. 1. disp. 103. avers. *quanvis:* & alii Doctores citati super n. 30. Vasq. 1. 2. disp. 64. cap 3. n. 19. Hurt dicta disp. 169. *de charit.* Sect. 6. & 7. Turrian. 2. 2. disp. 90. dub. 2. Vnde cum Philippus IV. Castellæ Rex propter scelestissimum abusum regiæ potestatis, non solùm per majorem, ac meliorem partem Lusitanæ Nobilitatis, matura, diuturnaque præcedente occulta deliberatione fuerit regno privatus, & electus invictissimus Rex noster Joannes IV? Sed etiam universa resp. illius privationem, & hujus electionem per acclammationem publicam prius, deinde per legitima suffragia ad finem Januarii proxime sequentis Vlyssippone in generalibus totius regni Comitiis approbaverit, & firmam, ratamque habuerit, ex hoc etiam capite tuta manebit regis nostri invictissimi, atque subditorum ipsius conscientia, ut non modo sine scrupulo, sed etiam mira cum alacritate, tamquam veritatis, ac justitiæ defensores datam Joanni Regi invictissimo regni possessionem, usque ad sanguinis effusionem, & vitæ amissionem constanter tueri queant, si Philippus

lippus